

men causa instrumentalis respectu sanctæ Trinitatis. Et ideo potius commemoratur Trinitas, quam passio Christi.

Ad 6, dicendum, quod etsi sint tria nomina personalia trium personarum, est tamen nomen unum essenziale. Virtus autem divina, quæ operatur in baptismo, ad essentialiam pertinet, et ideo dicitur, in nomine, non in nominibus.

Ad 7, dicendum, quod sicut aqua sumitur ad baptismum, quia ejus usus est communior ad abluendum, ita ad significandum tres personas, in forma baptismi assumuntur illa nomina, quibus communius consueverunt nominari personæ in illa lingua. Nec in aliis nominibus perficitur sacramentum.

## COMMENTARIUS.

1. *Dubitatio.* — Respondet D. Thomas hanc esse convenientem formam: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Et rationem reddit, quia in hac forma exprimitur duplex causa baptismi, scilicet principalis et instrumentalis; ergo est conveniens. Consequentiam probat, quia cum baptismus verbis formæ consecratur, oportet causas baptismi in ea exprimi.

2. *Solutio.* — Circa quem discursus dubitare potest aliquis; nam ex eo sequitur, in omnibus formis sacramentorum exprimendas esse illas duas causas, quia omnia per verba formæ consecrantur, et in omnibus reperitur illa duplex causa principalis et instrumentalis; consequens est falsum; nam in forma pœnitentiæ non exprimitur Trinitas, quæ est causa principalis, et in forma extremæ unctionis non exprimitur persona ministri; et idem videre licet in aliis sacramentis. Quin potius, neque in ipso baptismo exprimere personam ministri, est de essentia formæ, ut D. Thomas hic, ad 4, fatetur, et infra latius dicitur. Et augetur difficultas, nam sacramentum potius est signum sui effectus, quam causæ, a qua manat talis effectus; ergo convenientia formæ potius ex hac significatione, quam ex causarum expressione sumenda est. Respondetur D. Thomam supponere, Christi Domini institutionem, quæ est prima radix et unica causa assertionis ejus, quam in argumento Sed contra, sufficienter probat ex verbis Christi, Matth. ult., de quibus postea dicturi sumus. Supposita autem institutione, in prædicto discursu solum reddit congruentiam ejus, quæ non est in eo sensu intelli-

genda, qui in objectione facta insinuat, videlicet, ut forma sacramenti sit conveniens, necessarium esse, quod in ea sacramenti causæ exprimantur; sed e contrario, quod ea forma, in qua hujusmodi causæ exprimuntur, hoc ipso judicanda est conveniens, quia exprimendo causam principalem sacramenti indicatur origo totius sanctificationis et consecrationis sacramenti, et fit principalis quædam Christianæ fidei professio; explicando autem ministrum, declaratur etiam actus ejus, qui est materia sacramenti, scilicet ablutio; et significando hunc actum, consequenter significatur effectus, scilicet, spiritalis et interior ablutio, quæ per exteriorem significatur, atque ita recte explicatur, nihil deesse tali formæ, ut sit conveniens et aptissima; quamvis non omnia ista necessaria sint in omni forma cujusvis sacramenti; pauciora enim sufficere possunt, quia non in omnibus est eadem ratio institutionis, ut suis locis dicitur. Et per hæc patet responsio ad dubitationes prædictas.

3. In solutionibus argument. tangit D. Thomas difficultates aliquas, quæ in sequenti disput. commodius tractabuntur.

## ARTICULUS VI.

Utrum in nomine Christi possit dari baptismus (4, dist. 3, art. 1, quæst. 2, ad 3. Et 1 Cor. 1, lect. 2, c. 4).

1. *Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod in nomine Christi possit dari baptismus. Sicut enim una est fides, ita est unum baptisma, ut dicitur Ephes., cap. 4. Sed Actor. 8, dicitur, quod in nomine Christi baptizabantur viri et mulieres. Ergo nunc etiam potest dari baptismus in nomine Christi.*

2. *Præterea, Ambrosius dicit (lib. 1 de Spir., c. 3, ante med.): Si Christum dicas, et Patrem, a quo unctus est, et ipsum, qui unctus est, Filium, et Spiritum Sanctum, quo unctus est, designasti. Sed in nomine Trinitatis potest fieri baptismus. Ergo et in nomine Christi.*

3. *Præterea, Nicolaus Papa (de Consecr., d. 4, c. A quodam Judæo) ad consulta Bulgarorum respondens, dicit: Qui in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi (sicut in Act. Apostolor. legitur) baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut sanctus ait Ambrosius), rebaptizari non debent. Rebaptizarentur autem, si in hac forma baptizati, sacramentum baptismi non reciperent.*

Ergo potest conferri baptismus in nomine Christi, sub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Christi.*

Sed contra est, quod Pelagius P. (de Consecr., d. 4, c. 30, Si revera) scribit Gaudentio Episc.: *Si hi, qui in locis dilectionis tuæ vicinis commorari dicuntur, se solummodo in nomine Domini baptizatos fuisse confitentur, sine cujuscumque dubitationis ambiguo, eos ad fidem catholicam venientes in S. Trinitatis nomine baptizabis. Dydimus etiam dicit in l. de Spiritu Sancto (in l. 2, paulo a princ., habetur hic liber in fin. operum Hieron.): Licet quis possit existere sæxi (ut ita dicam) cordis, et penitus mentis alienæ, qui ita baptizare conetur, ut unum de præceptis nominibus (scilicet trium personarum) prætermittat, tamen sine perfectione baptizabit.*

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est (art. 2 hujus quæst.) sacramenta habent efficaciam ab institutione Christi. Et ideo si prætermittatur aliquod eorum, quæ Christus instituit circa aliquod sacramentum, efficacia caret, nisi ex speciali dispensatione ejus, qui virtutem suam sacramentis non alligavit. Christus autem instituit sacramentum baptismi dari cum invocatione Trinitatis. Et ideo quicquid desit ad plenam invocationem Trinitatis, tollit integritatem baptismi. Nec obstat, quod in nomine unius personæ intelligitur alia (sicut in nomine Patris intelligitur Filius), aut quod ille, qui nominat unam solam personam, potest habere rectam fidem de tribus, quia sicut ad sacramentum requiritur materia sensibilis, ita et forma sensibilis. Unde non sufficit intellectus vel fides Trinitatis ad perfectionem sacramenti, nisi sensibilibus verbis Trinitas exprimat. Unde et in baptismo Christi (ubi fuit origo sanctificationis nostri baptismi) adsuit Trinitas in sensibilibus signis, scilicet Pater in voce, Filius in humana natura, Spiritus Sanctus in columba.

Ad 1 ergo dicendum, quod ex speciali Christi revelatione, Apostoli in primitiva Ecclesia in nomine Christi baptizabant, ut nomen Christi (quod erat odiosum Judæis et Gentilibus) honorabile redderetur, per hoc, quod ad ejus invocationem Spiritus Sanctus dabatur in baptismo.

Ad 2, dicendum, quod Ambrosius (loco citato in arg. 2) assignat rationem, quare convenienter talis dispensatio fieri potuit in primitiva Ecclesia, quia scilicet in nomine Christi sola Trinitas intelligitur. Et ideo servabatur,

ad minus integritate intelligibili, forma, quam Christus tradidit in Evangelio.

Ad 3, dicendum, quod Nicolaus Papa (loco citato in arg. 3) dictum suum confirmat ex duobus præmissis. Et ideo ejus responsio patet ex primis duabus solutionibus.

## COMMENTARIUS.

Respondet D. Thomas, hanc formam: *Ego te baptizo in nomine Christi*, non esse sufficientem formam, seclusa dispensatione, quia non est juxta Christi Domini institutionem. Addit vero in solutionibus argumentorum, Apostolos speciali dispensatione interdum baptizasse sub illa forma, atque ita exponit Nicolaum Papam et Ambros. Quæ doctrina quoad hanc posteriorem partem difficilis valde est, et ideo specialem de illa quæstionem sequenti disputatione instituemus.

## DISPUTATIO XXI.

## DE FORMA BAPTISMI.

Supponendum est contra hæreticos hujus temporis, de necessitate baptismi esse determinatam formam verborum, ut supra in genere ostensum est, disp. 2, sect. 1 et 3. Quo supposito, explicandum a nobis est, quæ sint ista verba, ubi duo declaranda sunt, scilicet, quæ sufficiant, et quæ necessaria sint.

## SECTIO I.

Utrum hæc sit sufficiens et necessaria forma baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*

1. *Primus Brentii et aliorum hujus temporis hæreticorum error.* — *Secundus Græcorum error, alteri e diametro oppositus.* — Duo possunt excogitari circa hanc formam extremi errores. Primus est hæreticorum hujus temporis (ut quidam referunt ex Brentio et aliis), qui negant, illam formam esse sufficientem, nisi catechismus præcedat, seu doctrina, qua baptizandus instruatur de fidei mysteriis, quia Christus Dominus, Matth. ult., antequam diceret: *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, præmisit, *docete omnes gentes.* Unde colligunt illam doctrinam esse de essentia baptismi, non minus, quam cætera verba. Sed hic error sufficienter refu-



tatur ex his, quæ in prædicta disputatione de sacramentis in genere diximus, ubi ostendimus, non verbum concionatorium, sed consecratorium esse de essentia sacramenti, quod etiam sufficienter constat ex traditione et praxi Ecclesiæ, ex qua etiam sufficienter intelligitur, verbum illud, *docete omnes gentes*, non pertinere ad ipsam sacramenti constitutionem seu administrationem, sed ad dispositionem, quam ministri fidei et sacramentorum præmittere debent, ut homines ad sacramentum suscipiendum et alliciant et præparent. Secundus error extreme contrarius esse potest, hanc formam aliquid continere superfluum, aut substantiæ sacramentum contrarium. Hic error tribui potest Græcis, qui, prout colligitur ex cap. ult. de Baptismo, quod sumptum est ex Concil. Later., sub Innocent. III, cap. 4, existimarunt, esse contra veritatem hujus sacramenti, quod in hac forma exprimat personam ministri, et actus baptizandi, prout ab illa procedit. Quia per hujusmodi formam tribuitur hoc sacramentum ministro, tanquam auctori ejus. Omitto errores alios, qui circa mutationem hujus formæ fuere, de quibus in sequentibus section. commodius agam.

2. *Prima conclusio.* — Dico primo, prædictam formam: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, esse sufficientem ad hoc sacramentum constituendum. Est conclusio de fide, definita in Concil. Florent., in Decr. Eugenii, et sumitur ex Concil. Trident., sess. 7, can. 3 de Baptismo, ubi anathema dicit in eum, qui dixerit in Ecclesia Romana, quæ omnium mater est et magistra, non esse veram de baptismi sacramento doctrinam. Quod generatim de omnibus sacramentis traditur, in cap. *Ab abolendam*, de Hæreticis. Cum ergo Ecclesia Romana et hoc doceat, et utatur hac forma, ut sufficienti, certum de fide est, eam sufficere, alioqui esset in Ecclesia intolerabilis error in doctrina et usu sacramenti maxime ad salutem necessariam. Ratio vero sumitur ex Christi institutione, quæ colligitur ex illis verbis, Matth. ult.: *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, quæ ita Ecclesia intellexit, et Patres omnes, quos retuli supra, disput. 2, sect. 3. Congruentia vero sufficiens est, quam tradidit D. Thomas, in art. 5, et alias fusius explicabimus in sequentibus sectionibus, declarando singulas particulas hujus formæ.

3. Dico secundo, hanc formam, quoad si-

gnificationem seu substantialem sensum, esse simpliciter necessariam ad hoc sacramentum conficiendum. Hæc conclusio recte intellecta sequitur ex præcedenti. Primo, quia illa forma, quæ est a Christo instituta, non solum est sufficiens, sed necessaria; sed hæc forma est a Christo instituta, ut ostensum est: ergo. Secundo, quia forma sufficiens ad sacramentum, licet materialiter, et in sono verborum possit esse multiplex, tamen formaliter, id est, in significatione et substantiali sensu, necessario debet esse una, quia sacramentum baptismi unum et idem est in universa Ecclesia; ergo, si illa forma est sufficiens, erit etiam necessaria in sensu explicato.

4. *Notandum.* — *Forma Græcorum legitima, atque in substantiali sensu eadem cum nostra.* — Dixi autem, quoad significationem et substantialem sensum, quia certum est, illam formam, quoad illa materialia verba, non esse simpliciter necessariam. Primo quidem, propter generalem doctrinam supra traditam, disput. 2, quod accidentaliter mutatio verborum, quando non mutatur substantialis sensus, non est contra veritatem sacramenti. Secundo, quia certum de fide est, formam qua Græci utuntur: *Baptizetur N. seu servus Christi in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, esse sufficientem; nam licet multi dubitaverint de veritate baptismi sub hac forma traditi, ut D. Thomas refert, in 4, d. 3, q. 2, art. 2, q. 2, ad 1, adeo ut Sylvest., verbo Baptismus 1, in fine, dicat talem baptismum esse sub conditione iterandum, tamen post Concilium præcipue Florentinum, certum est, illam formam esse sufficientem. Et quidem merito; nam Ecclesia Græca habet usum illius formæ antiquissimum. Unde credibile est a sanctis Patribus et Episcopis Catholicis illum accepisse. Neque est credibile, totam illam Ecclesiam caruisse vero baptismo, alioqui reliquis sacramentis omnibus, verisque sacerdotibus, ac Episcopis caruisset, quod est absurdum, et contra id quod universa Ecclesia Romana sentit. Nam quando Græci a schismate ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ redeunt, nec baptizantur iterum, nec si sacerdotes, vel Episcopi sint, iterum ordinantur, ac consecrantur, sed in suo gradu, et ordine recipiuntur; ergo hæc omnia vere et rite apud illos perficiuntur; ergo cum omnia pendeant ex veritate et sufficientia illius formæ baptismi, dicendum necessario est, illam formam esse sufficientem, et consequenter in illa contineri Christi insti-

tutionem, atque adeo in substantiali sensu esse eandem cum nostra. Quis sit autem hic substantialis sensus, per sectiones sequentes melius exponemus.

## SECTIO II.

Utrum de necessitate hujus formæ sit, ut in ea exprimat actus baptizandi, et persona quæ baptizat, et quæ baptizatur.

1. *Prima conclusio.* — *Objectio.* — *Respondetur.* — *Duplex verborum Christi sensus.* — Dico primo: de necessitate hujus formæ est, ut in ea exprimat actus baptizandi. Conclusio est de fide, quam insinuat Concil. Florent. supra in illis verbis: *Si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum sanctæ Trinitatis invocatione, perficitur sacramentum.* Sentit ergo utrumque esse necessarium. Clarius Alexand. III, in c. 4, extra. de Baptismo, ubi sic inquit: *Si quis puerum in aqua immerserit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et non dixerit: Ego te baptizo, non est puer baptizatus;* est ergo necessaria prolatio illius verbi, *baptizo*, quatenus per illud exprimitur, seu significatur actus baptizandi. Ratio vero sumitur ex verbo Christi: *Baptizantes eos.* Dices: Christus his verbis non præcepit quid dicendum sit, sed quid sit agendum, cum hoc sacramentum datur; ergo satis implent ministri sacramentorum hoc præceptum opere, et (ut ita dicam) actu exercito, lavando eos, quos baptizant, quamvis verbis non dicant se baptizare, neque aliquo alio verbo exprimat actum lavandi, quem exercent. Respondetur, hoc argumento pari ratione posse probari, nec Trinitatis invocationem, neque alicujus verbi prolationem esse de necessitate hujus sacramenti, quia si Christi verba nude ac rigore, prout in cortice sonant, sumantur, non videntur cogere ministros hujus sacramenti, ut verbis exprimat quod faciunt, sed solum ut opere faciant; sicut, cum eisdem dixit ibidem: *Docete omnes gentes*, non eis præcepit, ut dicerent se docere, sed ut docerent; et cum alibi dixit: *Hoc facite*, non eis præcepit, ut dicerent se consecrare, sed ut consecrarent. Dicendum est ergo, sensum præcepti, et verborum Christi ex doctrina et usu Ecclesiæ esse sumendum, ex quo constat, Ecclesiam ab Apostolis edoctam, hoc sensu semper intellexisse verba Christi; ergo et Christus in hoc sensu locutus est, et Apostoli ita verba

ejus intellexerunt, sicut traditio explicuit. Qui sensus optime etiam quadrat verbis Christi. Nam, ut infra dicam, cum Christus ait: *In nomine Patris*, etc., dupliciter explicari potest: uno modo, id est, in virtute et fide Trinitatis, sicut ipse dixit, Marci cap. 14: *In nomine meo demonia ejicient;* et Matthæi 15: *Ego veni in nomine Patris mei;* et Joan. 21: *Ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* In quo sensu non esset necessaria exterior prolatio Trinitatis, sed solum intentio operandi in virtute et fide ejus. Alio modo possunt recte exponi illa verba: *In nomine Patris, et Filii*, etc., id est, verbis ipsis invocando et profitendo fidem Trinitatis; et hic est verus sensus verborum Christi, ut ex Patribus infra ostendemus, et ex circumstantiis illius loci conjici potest. Nam Christus ibi tradebat ritum servandum in sacramento baptismi; et ideo non tantum docet, qua fide et virtute tradendum sit, sed etiam, qua forma et verbis sit consecrandum. Sicut ergo invocatio Trinitatis intelligitur verbis ministri facienda, ita etiam actus baptizandi verbis ministri est explicandus. Primo quidem, ut invocatio Trinitatis ipsi actui baptizandi applicetur, atque ita determinetur ad sacramentalem usum, ut D. Thomas hic notavit, art. 5, ad 2. Secundo, ut per formam significetur effectus sacramenti mediante actione ministri, quæ est materia proxima sacramenti. Tertio, ut significatio totius formæ sit expressior et clarior, et aliquem definitum sensum reddat. Nam si solum diceretur: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, illa verba per se sumpta nullum sensum determinatum redderent.

2. *Dubitatio.* — *Responsio.* — *Notandum.* — Quærent vero hoc loco Scholastici, an necesse sit exprimere hunc actum per illud verbum, *Baptizo*; vel sufficiat aliud æquivalens, ut abluo, tingo, vel similia. Quam rem late tractat Soto, in 4, d. 3, quæst. unica, art. 5, ad 4. Sed si observentur quæ supra dicta sunt de sacramentis in genere circa mutationes formarum, quæ hic repetenda non sunt, nihil hoc loco addere necesse est; sed solum observare primum (si mutatio fiat), an verbum sit synonymum vel æquivalens, ita ut vere significet actum abluendi, seu lavandi. Nam si verbum sit hujusmodi, mutatio erit accidentaliter, qua non obstante, forma erit sufficiens ad sacramentum constituendum, quamvis significatio vocis non sit omnino eadem, quia satis est, ut in ordine ad signifi-



candum actum lavandi æquivalet. Et hujusmodi sunt hæ voces, abluo, lavo, intingo, et similes. Si autem verbum non retineat hanc significationem, non erit sufficiens, ut per se constat ex principiis supra positis. Quando autem verbum sit hujus vel alterius significationis, ex usu et peritia uniuscujusque linguæ petendum est. Et ideo secundo observandum, ut semper retineatur verbum baptizo, quo Ecclesia utitur, ita ut licet contingat aliquem proferre formam in sua lingua vulgari, quia Latinam ignorat, melius faciet exprimendo actum per verbum baptizandi, quam per aliud verbum Hispanum, vel hujusmodi, quod ablationem significet, quia verbum illud magis est certum, et indubitatum. Et quamvis Græcum sit, tamen ex usu accommodatum jam est, tam Latinæ linguæ, quam cuilibet vulgari; et fortasse ideo retentum est ab Ecclesia Latina, ut illud verbum esset certum, et quasi definitum ad communem usum.

3. *Alia dubitatio.* — *Respondetur.* — Rursus inquiri potest circa hanc assertionem, an sit de necessitate hujus formæ, ut actus baptizandi exprimat per verbum indicativum activum, vel passivum, quale est, *Baptizo te*, aut *baptizaris*, vel *baptizatur*, aut per modum imperativi, *baptizetur*. Respondetur, neutrum ex his modis esse essentialem, aut simpliciter necessarium, sed quemlibet eorum sufficere, quantum est ex necessitate sacramenti, dummodo actus baptizandi significetur, ut actu exercitus; quod ideo addo, quia si quis dicat, *baptiza Petrum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, illa non esset sufficiens forma, quia non significat ablationem, ut actu exercitam sub tali forma, sed ut alteri imperatam, seu ut exercendam ab alio. Reliqui autem modi sufficientes sunt, quia satis significant actum exercitum prædicto modo. Et de verbo activo et indicativo constat ex usu Ecclesiæ Latinæ; de passivo vero, quia reddit eundem sensum; de imperativo autem, *Baptizetur*, aut alio simili, constat ex forma Græcorum, quæ, ut ostendimus, sufficiens est. An vero sit necessarium, hanc actionem in singulari exprimi, vel possit proferri in plurali, scilicet, *Baptizamus*, etc., dicemus disput. 23, sect. 3.

4. *Secunda conclusio.* — *Objectio.* — *Respondetur.* — Dico secundo: non est de essentia hujus formæ, ut in ea exprimat persona ministri. Est certa conclusio. Quæ probatur, nam in primis constat non esse necessarium

exprimere personam ministri per illud pronomen *Ego*, ut D. Thomas hic docuit, et significavit Zacharias Pap., in cap. *Retulerunt*, de Consecr., dist. 4, et bene etiam notavit Glossa, in cap. 4 de Baptismo, ubi Pontifex dicit, non fieri baptismum, nisi quis dicat, *Ego te baptizo*, etc. Sed ibi solum intendit docere, actum baptizandi esse exprimendum in forma; usus autem est illis verbis, quia illa sunt in communi usu Ecclesiæ Latinæ, non quia pronomen illud sit simpliciter necessarium, maxime cum in ipso verbo *Baptizo*, implicite contineatur, et quoad sensum idem sit dicere, *Baptizo te*, ac *Ego te baptizo*. Ulterius vero addendum est, etiam hoc implicito modo non esse necessarium indicari personam ministri, ut constat ex forma Græcorum, *Baptizetur servus Christi*, etc. Nam ut notat Soto, supra d. art. 5, ad 4, Græci illis verbis non subintelligunt personam ministri, ita ut sensus sit, *Baptizetur a me*, nam potius ipsi dicuntur uti hac forma, ne viderentur sibi attribuere baptismum, et ideo potius intelligunt, baptizetur servus Christi a Christo, vel a Deo, aut simpliciter ab eo, qui auctoritatem et efficaciam habet baptizandi; ergo ex vitalis formæ non exprimitur ullo modo persona ministri, et tamen est sufficiens; ergo expressio ministri in forma non est simpliciter necessaria. Quod etiam docuit Concil. Florent. supra. Et rationem reddit, quia cum minister sit tantum causa instrumentalis, non est simpliciter necessarium, illam exprimere in forma; maxime cum ex institutione Christi id non colligatur, neque ex universali Ecclesiæ traditione. Nam licet Latina Ecclesia hoc observet, non tamen Græca, quæ in hac parte non arguitur erroris ab Ecclesia Latina. Sed dicunt alii, quamvis non sit de necessitate sacramenti absolute et simpliciter ac in omni loco exprimere in forma personam ministri, tamen in Ecclesia Latina hoc esse necessarium, propter receptam in ea consuetudinem. Unde colligunt, si in Ecclesia Latina aliquis baptizet forma Græcorum, non conficere sacramentum. Ita refert D. Thom. supra, et Adrian., quæst. 4 de Baptismo, art. 3, dub. 2, citans Innoc. in cap. 4 de Baptismo. Sed hæc sententia falsa est, ut constat ex dictis supra de sacramentis in genere. Nam sacramenti essentia una est in universa Ecclesia. Unde forma, quæ in una parte sufficit ad constituendum sacramentum, sufficit in qualibet parte seu regione Ecclesiæ, quod attinet ad sacramenti necessitatem; si ergo in Ecclesia

Græca non est necessarium exprimere personam ministri, etiam in Ecclesia Latina id non erit de necessitate sacramenti, quia Ecclesiæ præceptum, aut consuetudo, non potest mutare essentiam sacramenti, aut efficere, ut aliquid sit de necessitate illius, quod ex institutione Christi non erat, quamvis facere possit, ut sit de necessitate præcepti, quia minister tenetur observare ritum suæ Ecclesiæ, ut supra dictum est, et infra etiam dicitur in materia morali hujus sacramenti.

5. *Dubitatio.* — *Solvitur.* — Sed quæres, esto, non sit de necessitate hujus formæ, ministrum in illa exprimere, an saltem sit expediens, magisque conveniens. Nam Græci hoc vitare studuerunt, ne viderentur ministri sacramentorum sibi arrogare efficaciam sacramenti, et ut illius schismatis occasionem fugerent, cujus fit mentio, 4 ad Corinth. 3: *Ego sum Pauli, Ego autem Apollo*. Respondetur, consuetudinem Græcorum per se loquendo non esse malam, ut Concil. Florent. docuit; ita tamen illi consuetudini adhærere, ut ritum Ecclesiæ Latinæ damnent, erroneum est, et omnino contra rationem. Quin potius addo, ritum Ecclesiæ Latinæ esse meliorem, tum quia est consentaneus verbis Christi: *Baptizantes eos*; tum etiam quia melius explicat causas et effectum baptismi, et ipsum actum baptizandi, ut actualiter exercitum. Neque datur occasio schismatis, quia minister solum in illo opere se exhibet, ut Christi ministerium; sicut quando in sacramento penitentiæ dicit: *Ego te absolvo*, nullam occasionem schismatis tribuit, neque sibi arrogat virtutem, seu efficaciam sacramenti.

6. *Tertia conclusio.* — *Alia dubitatio.* — *Respondetur.* — Dico tertio: de necessitate hujus formæ esse, ut in ea explicetur, seu indicetur persona, quæ baptizatur. Ita D. Thom. hic, art. 5, ad 4, et est communis omnium sententia; quæ colligitur ex verbis Christi, *baptizantes eos*. Hunc enim esse sensum illorum verborum et institutionis Christi, docuit traditio et usus Ecclesiæ; et ita in utraque forma tam Græcorum, quam Latinorum, hoc observatum est. Ratio vero reddi potest, quia nisi aliquo modo exprimat persona, cui applicatur baptismus, non potest actus baptizandi practice significari, ut hic et nunc in particulari exercitus. Nam si tantum diceret minister: *Ego baptizo in nomine Patris*, nec significaret determinatum actum baptizandi, determinatur enim a subjecto, cui applicatur,

nec satis indicaret actum, prout hic et nunc exercetur. Ac tandem non satis significaret effectum baptismi, quatenus est spiritualis ablutio et regeneratio ejus, qui baptizatur. Tandem necessaria est expressio hujus personæ, ut indicetur in forma distinctio, quæ necessaria est inter baptizantem et baptizatum, sicut inter generantem et genitum, prout dicitur in cap. *Debitum*, extra, de Baptismo. Unde colligit D. Thomas et Theologi omnes, necessarium esse exprimere hanc personam, quæ baptizatur, aut proprio nomine, ut cum dicitur, *Ego te N. baptizo*, aut per pronomen secundæ vel tertiæ personæ, ut *Baptizo te*, vel *illum*, non vero per pronomen primæ personæ, ut *Baptizo me*, ut prædicto capit. *Debitum*, definitur, et colligitur ex citatis verbis Christi, *Baptizantes eos*. Et confirmatur exemplo Christi, qui hac de causa voluit ab alio baptizari; et adjungi potest exemplum Apostolorum in Actibus eorum; ubi semper legimus baptizantem esse distinctam personam a baptizatis, et idem observavit semper Ecclesiæ traditio, et in eodem capite redditur congruentia sumpta ex similitudine generationis, in qua oportet generantem et genitum personaliter distingui. Atque idem confirmari potest exemplo sacramentorum quæ in usu consistunt, ut in superioribus dictum est. An vero oporteat exprimere hanc personam in singulari numero, vel sufficiat in plurali dicendo, *Ego baptizo vos*, D. Thomas hic, et quæst. seq., art. 6, ad 2, respondet, hanc mutationem esse accidentalem, et utrumque modum sufficere, et idem generaliter dicendum est de quacumque simili mutatione, dummodo sufficienter designetur persona. Quamvis, ut ministerium hoc debite, et sine culpa exercentur, servare oporteat Ecclesiæ consuetudinem.

## SECTIO III.

Utrum de necessitate hujus formæ sit explicita invocatio Trinitatis, vel sufficiat baptizare in nomine Christi.

1. *Varii errores proponuntur qui veram Trinitatis confessionem destruxerunt.* — *Insigne miraculum.* — Circa hanc partem hujus formæ, quæ est de Trinitatis invocatione, primum referri possunt varii antiqui errores hæreticorum, qui aliquid huic formæ addebant, vel subtrahebant, quo vera Trinitatis confessio destrueretur; sic Gnostici, teste